

BIBLIOTEKA

Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVII 1.204


BIBLIOTEKA

Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVII 1.205

In morte
Gabrielis Wagner.


4619.



BIAŁOZOR Jan Karol

**12. Honor academicus in exequiis ... Gabrielis
Woyna, M.D.L. vicecancelarii capitanei
Merecensis...**

Vilnae, Apud Iosephum Karcan, 1615. 4° .



I V S T O R V M

ILLVSTRI AC MAGNI-
FICO DOMINO D. GABRI-
ELI WOYNA M. L. D. VICECAN-

CELLARIO, CAPITANEO MERECEN;

Pienianenſ: Opelſcenſ: &c. &c.

Ab

Academia Vilenſi Soc. IESV
perſolutorum.

THEATRVM

ILLVSTRISSIMO AC RE-
VERENDISSIMO DOMINO D.

BENEDICTO WOYNA EPISCOPO VILNENSI,

Fraternis Manibus pie parentanti

exhibitum

STVDIO

IOANNIS CAROLI BIAŁOZOR

Nepotis officioſiſſimi.



VILNÆ, apud Iosephum Karcanum Anno 1615.

IN DIGMA GENTILITIVM REVEREN-
DISSIMI DOMINI D.



Fraternum quando Præful celeberrime funus
Mæstus obis, tecum patria Signa dolent.
Buccina raucescit, marcescunt Lilia, rarus
Densatur Nodus, Flumina vjua rigent.
Cerne serenato vultu Genus (eia) superstes,
Pritinus vt repetat Symbola auita vigor.

Ioannes Carolus Białozor.



XVII - 1204 - III

Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino D. BENEDICTO
WOYNAD. G. Episcopo Vilenſi Auunculo obſeruandiſſi:

Feciſſet ſummus vniuerſorum Parens, Deus O M. Præſul Illuſtriſſime, vt Aca-
demix noſtræ, & in ea vtriq; Sodalitati Parthenicæ, nominis tui ſtudioſiſſimæ,
alius potius de te, deq; ceberriſſima familia tua bene merendi aperuiſſet ſe campus,
quam is, in quē temporibus hiſce cultiſſimis eius ingenijs excurrere heu contigit.
GABRIEL VVOYNA germanus Frater tuus, M. L. D. Vicecancellarius, Capita-
neus Meri Opeſc: Pienia: te inſpectante & adlacrymâte, patria condolēte, vrbe hac
ampliſſima complorante, literaria Iuuentute ingemiſcente, magno ſui apud omnes
ordines relicto deſiderio, è corporis caduci vinculis, atq; ex Pontificia æde tua, ac
è manibus filiorum ſuorum ſuam orbitatem deſentium, vitæ mortalis pertæſus, in
aliam immoralem, ipſis Ianuarij Calendis exceſſit. Ad huius illa exequias vna
tecum ſupremo honore (quoniam ſic ſuperis viſum eſt) exornandas, tanquam ali-
qua pars non vulgaris audeſ accedere; ne ab ea in ſuum olim inſignem Alumnus de-
bitum pietatis officium deſideraretur. Et vero præter cæteros Palæſtritas ſuos eru-
ditiſſimos, in pium hoc obſequiū pronos, iuſſit illa Oratorix Poeticæq; diſciplinæ
apud ſe ſtrenuè addiſtos Iuuenes, picturatis, & ad rem præſentem perquam accom-
modatis lemmatibus certare, & non indigna cædro ſcribere, ac loqui, tantumq; eo
in negotio perficere voluit, quantum per otium licuit. Quod ſi cuiſpiam hæc eius
parua, nec deſuncti Herois laudibus digna facultas putabitur: ita opinari profecto
illi liceat, at de voluntate officioſiſſima detrahere omnino nefas erit: qua vna
omnibus, ad quoscunq; aliquid mæroris ex funere hoc petuenit, parem ſe eſſe palſâ
fateretur. Nam ſi GABRIELEM VVOYNAM ampliſſimus vterq; curiæ Polonicæ Or-
do prudentiſſimum Senatorem, M. L. Ducatus Singulare columen, Aula Sereniſſimi
Regis de ſe præclare meritum, inclita familia clariffimum lumen, nobiliſſima po-
ſteritas optimum Parentem, Patria ciuem, Vrbs hæc tutorem, Deo dicati homines
promotorem, ſacra templa liberaliſſimum excultorem ſibi ereptum dolent, Gymna-
ſia etiam lectiſſima eundem fautorem ſuum, ac Patronum eximium à ſuo complexu
excidiſſe non minore affectu complorant, nec hanc exhibitum ei à ſe cultum vltimū
eſſe ſtatuunt. Quamdiu enim parietes illi, illæ recens in altum ductæ Collegij mo-
les ſtabunt, maximâ VVOYNARVM in omnes re literaria occupatos homines be-
neuolentiam Studiumq; commendabunt. Verumenimvero Germanus tuus, Prin-
ceps Illuſtriſſime, feliciter ex hac calamitoſa morralitate educus fruatur ſempiterna
Beatorum Societate; qua iam (vt pie credere poſſumus) illum laborum omnium in
his vitæ arumnis ſuſceptorum fidelis Remunerator Deus dignatus eſt; at te idem, vt
adhuc quam diutiſſimè nobiſcum eſſe velit, Patria vniuerſa conjunctis ſincere vo-
ci animis comprecatur. Vtinam renouetur, vt aquilæ iuuentus, ætas tua, & reſto-
reſcat caro Senectutis tuæ, ad maius diuini honoris incrementum, Eccleſiæ Catholice
augmentū, generis tui ornamentū. Me proinde vnū è familia tua clariffima ortū, &
hanc commilitonum meorū Threnodiā quā ad funebrē perilluſtris Fratris tui cele-
bratæ cecinerunt, tibi offerentē beneuolè vultu intuerè.

O R A T I O.

ET si vulnus illud, quod ipso ineuntis anni exordio, ex
 inopportuno GABRIELIS WOYNA M. D. L. Procancellari-
 ri, auunculi mei suauissimi occafu acceperã, fenfim tẽpo-
 ris progressu obduci, mæror fedari, lachrymæ quiefcere
 cæperãt, præful Illuſtriſſime, cæteriç Auditores amplif-
 ſimi, tamen hic adeò triftis parentaliũ apparatus, ſepul-
 chrales faces, lugubres cantus, pulli parietes, atratæ aræ
 tantò maiores tantoç effuſiores reducunt: quantò violẽ-
 tius cohibebãtur. Itaç quo me vertam neſcio: vix enim
 tã imẽnſa animi ægritudo, ingeniũ, quidquã cõcipere; vix
 tã grauis dolor, cõcepta, mẽoria ſepire; vix tã ingens mæ-
 ror, cõprehenſa, linguã reddere, vocẽ ad aures veſtras per-
 ferre ſinit. Quæ ſi diutius duratura putarẽ, cederẽ vtiç tẽ-
 pori, nec tãtis dolorũ & perturbationũ fluctibus orationẽ
 meã cõmitterẽ. Verũ hĩc tãtus funebris põpæ ſplendor,
 tã frequẽs veſter cõfeſſus, tã celebris õnis ætatis, ſexus,
 ordinis, hominũ cõcurſus, cõceptũ dolorẽ aliquãtulũ tẽ-
 perat, ægritudinẽ leuat, animũ triftitia iacentẽ erigit, vo-
 cẽ à gemitu ad orationẽ, orationẽ à lamẽtatione ad lau-
 dationẽ traducit. quid enim hæc cenotaphij moles Ægy-
 ptiacarum aemula Pyramidum ſignificat? quam res à
 GABRIELEgeſtas ita eſſe celebrandas, vt nullam tem-
 poris vetuſtatem, nullam vetuſtatis iniuriam timeant.
 Quid WOYNARVM domus decora, Gentilitia ſigna
 tumbæ appenſa volunt? quid Lilia expectant, niſi vt
 ea Oratores ad tumulum GABRIELIS ſpargant:
 quid nota in Quincuncem directã? niſi vt illa oſcula à

GABRIELE sub extremū spiritū, frequētissimè Christi Cruci
suffixi vulneribus impressa celebrent: quid tubæ nisi vt no-
men GABRIELIS voce sua, primū quidē famæ hominū, dein-
dē æternitati cōsecrent: quid deniq̃ aplissimi illi tres Flu-
uij? nisi vt oratio plenis per eos velis in laudes GABRIELIS
feratur. Quāobrē adeste animis Auditores, dū aliqua eorū
quę à GABRIELE laudabiliter sūt gesta breuiter perstringo, vt
nos ad eius potius virtutis imitationē accingamus, quā su-
nus lachrymis frustra fatigemus. Tu verò Præsul Illustrissi-
me, si forte orationē meā doloris tēpestatibus abreptā, non
nunquam agitari, & de suo statu deiectā errare videris, da-
bis veniā, & pro tua in omnes indulgentia, tenero quo in A-
uunculū vita functū erā, amorī, iustoq̃ afflictissimi Nepotis
dolori adscribes. Et verò audit: si ex more & consuetudine
rhetorū in eos fontes è quibus GABRIELIS nobilitas deducta
est, digitū intendere, si admirabili ppriarū eius virtutū pom-
pæ, maiorū, quasi faces in hoc luctuoso funere præferentiū,
honores, officia, dignitates præmittere vellem, quantā tū de-
mū ex illis & mea laudatio lucem, & eius res gestæ splendo-
rem atq̃ dignitatē acciperent? Si enim laudabile, & gloriosū
est ijs, qui maiores suos ignotos, & domesticos inter pari-
etes delitescentes, in lucem & publicū eduxerūt, quantò
gloriosius erit, nobilitatem, à clarissimo Parentum atq̃ ma-
iorum sōte deductam, virtute quasi purissimo quodam solo
excepisse, & alueo eius aucto vberiore atq̃ clariorem ad
posterios transmisisse. Quemadmodum enim Pleiadas Hya-
dasq̃ & cæteras minores stellas, q̃ profundæ noctis in tene-
bris luceant nō mirāur, sed Auroram, q̃ sole exoriente, & to-
to iam pæne cælo fulgorē atq̃ radios diffundente, fulgere
possit: ita facile expeditumq̃ esse videmus, eos qui in genere
suo

suo lucem desiderant, è maiorum latebris emergere, eorum
in luce clarere, in claritate lucere, non minus arduum quàm
gloriosum. Neq̄ enim cuiusuis est ad eorū splendoris obie-
ctum non extingui, quorum pleriq̄, aut difficili Reip. tem-
pore feliciter arma tractauerunt, aut pietate, prudentia, cō-
silio, alijsq̄ pacis artibus Patriæ profuerunt; sed eius tantum
qui & bellica laude insignis, & gubernandis in Magistratu ci-
uibus singularis fuit. Quæ licet ita se habeant, ego tamen
ne minuta consecrari & ppriam causam agere videar, rebus
à maioribus gestis ad GABRIELIS laudem nō abutar, neq̄ es-
am diligentiam adhibebo, quam cōmuniter Oratores in su-
is laudationibus adhibere solent, cum ducta maiorum serie
à quibus is, qui laudandus est, originem hausit, singulorum
res gestas recensent, singulis suas laudes, sua præconia at-
texunt. Nihil dicam de antiquissimis & celeberrimis Zahor
milinisciis Principibus, ad quos ortum familiæ suæ refe-
runt Woynæ, nihil de fortissimo Mathia Woyna vita functi,
& aliorum quinq̄ Senatorum,, trium etiam Castellanorum
Parente, & ipso Mscislauienti Castellano, qui fortissimo illi
duci Constantino Ostrowski dignitate & officio secundus,
fortitudine, & rerum bellicarum scientia omnino par, tot
Moschorum exercitus ad internecionem deleuit, quod ad-
huc superstites ore celebrant, qui celeberrimè illi moscho-
rum stragi ad Vlam factæ, non interfuit solum, sed etiam
præfuit. Dum modo intelligatis Gabrielem non sanguinis
tantum, sed etiam autè virtutis hæredem, Moschorum dus-
ci infensissimo per id tempus M. D. N. hosti, animo paterno,
viribus etiam tantò valentioribus, quantò ætas erat floridis-
or, signa intulisse. Te ego Duna fortitudinis eius conscia ap-
pello; vos Polocenses Agri hostilesq̄ turmæ præcones eius
cons

constantia, vos etiam Duces? Centuriones, milites, cui ille
Serenissimi Regis Stephani contra Moschos expeditioni
non interfuit? quam arcem, quod propugnaculum ab eo cap-
tum non oppugnauit? in quo conflictu cum hoste manus
non conseruit? Polocia quam sub Sigismundo Augusto re-
ge, Magnus Dux Moschouia à Lituania auulserat auspiciis
Stephani regis in pristinum statum, & libertatem vindica-
ta; eius vindicandæ socius erat Gabriel: Fufis ad Turopetiã
hostium copiis Velicolucum expugnatum & captum; Velis-
fia, Neuel, Zauotocia, Iezeriscia, in potestatem regis redas-
cta; earum expugnandarum capiendarum socius fuit Gabrie-
l. Oppugnata Pleszkouia, triginta quatuor arces, omni ap-
paratus bellici vi, & copia instructæ in Liuonia receptæ;
earum oppugnandarum & recipiendarum socius fuit Gabrie-
l. O singularem hõinis fortitudinem, ô insignem in adhæ-
rendo regi constantiam! non illum tot & tam sumptuosæ
expeditiones, non assidua cœli difficultates, & iniuriæ à re-
gis latere auellere potuerunt. Te Staricia, quam Mâgnus
Moschorum Dux, vix dum conspectis Radiuilorum Aquis-
lis, vix dum auditis Woynarum tubis, primoquidem in de-
sperationem adductus, mox in fugam versus cum suis & fili-
orum coniugibus, ancillarum gregibus deseruit, imploro
atq; testor, quanta tum eum formido, quanta occupauit
trepidatio, quam facile vt se earum clangore liberaret in-
ter cæteras Liuoniæ arces Derpatum bellicis septuaginta
octo tormentis instructum Stephano tradidit: non prima
modo belli Trophæa Polotiam, Niesczardam, Cossianiam,
Socolum, Turauliam, Sithno, Suffam, Crasnum, sed etiam
secundi triumphii monumenta, Vswiatam, Velisiam, Iezie-
riscum sub ditione eiusdem reliquit, Casaniq; & Astracani
impe-

imperatorum titulis se abdicauit. O clangorem hostibus terribilem atq; fatalem, Patriæ iucundum & salutarem! ô tubas æternitate dignas! Verum aliter illi, in cuius manibus omnium nostrum ætates consignatæ sunt, placuit; cecidit iam illa & bello & pace celebris dextera, occidit virtus, occidit ignoto & omnem medicorum industriam fallente morbo: iacet in exili conclusus tumba, cuius fama vltimarum sola terrarum impleuit. Quantum rei militaris peritia, quantum dexteritate atq; constantia bellica valuerit, habetis; an in eo pietatem, singulare Christianæ religionis studium, earum virtutum, quibus eius maiores & germani luxerunt splendorem desiderabitis; quem natura ad omnem honestatem finxit, voluntas promouit, studium exercuit, Dei Opt. Max. tutela conseruauit. Testes sunt eius pietatis, dies singuli, quibus ille corpore quidem erectus, sed mente ac animo tremens rei Diuinæ intererat: testes illæ integræ horæ quæ peractis cœlestibus mysteriis, eum tantum beneficium cum lachrymis sæpe, sæpe cum magna lætitia recogitantem viderunt; testis ille liber ex quo singulis diebus preces, ad omnes horas, Pontificum institutis comprobatas, summa quadam religione recitabat. Testes sunt liberi, quos ita educauit, & a teneris ad omnem pietatem, & vitæ integritatem formauit, vt alios filiorum, propter egregiam eorum indolem Rex Capitaneatus ornarit, vnum Deus numero Societatis IESV religiosorum adiunxerit: duas filias religiosis virginibus, alteram Vilmæ sanctæ Claræ disciplinam sequentibus, alteram Nesuisij Beatæ Euphemie institutum profitentibus inscripserit. Testis mericia, Pieniany, cæteriq; Capitaneatus, quos ille ita gubernauit, vt pietatis semper & religionis memor fuerit.

Acce-

Accepistis templū magnitudine amplū ornamentis insigne,
populi frequentia celebre, Mercej exstructū, à fundamen-
tis erexit, ad culmen perduxit, exustum restaurauit, orna-
uit GABRIEL: audiuitis viros religiosos, qui B. Dominici
instituti Christo se in seruitutem consecrarunt, in eandem
ciuitatem introductos, à Regia Maiestate confirmatos; eos-
rum confirmationem promouit GABRIEL. Testes deniq̄ se-
des & tribunalia, quæ sæpè eum promiscuè cum aliis ex-
piandorum animorum gratia se cingentibus, stantem, &
ordinem, vel certè Sacerdotis accedere iubentis nutum
expectantem stupuerunt. Res noua audit: & ante hoc tē-
pus rarò audita: Summi in hoc Magno Ducatu Sacerdotis,
quinq̄ Senatorum frater, ipse Senator, Castellani filius, aule
Regiæ eo tempore supremus rector, in cuius conspectu
stabant aperto capite viri genere nobilissimi, sine discrimine
cum quibuscunq̄ stare, Sacerdotis vocem præstolari, ad e-
ius pedes in conspectu omnium in genua procumbere non
erubuit. O sublimem animi demissionem, ô religionem in-
iuria temporum pænè abolitam! O facinus GABRIELIS
præclarum, qui nihil se, nihil Senatoria, quam gerebat,
dignitate dignius esse existimabat, quam vel in expiando
animo à more, quem maiores sui sanctè coluerunt, non
discedere: nec verò se tum Senatorem, aut iudicem, sed
reum, & accusandum, nec Sacerdotem hominem, sed Dei
Vicarium, Christi personam gerentem cogitabat. Magna
profecio hæc GABRIELIS virtus, & omnium Oratorum lin-
guis, omnium literis digna! Verum me nescio quomodo
& hanc exornare, & alias illustres explicare cupientem, vel

inuitum ad se trahunt ea, quæ ab illo in iudiciis & tribunali-
bus seuerè grauietè sunt gesta. Hoc enim omnes penè
nos in admirationem rapiebat, quomodo is, qui aliàs esset
lenissimus, cum rei, officij, & temporis ratio exigeret, leue-
rum se in sceleratos exhiberet, nec eorum vllis clamorib⁹,
aut potentia frangeretur, nec precibus aut muneribus fle-
cteretur. Contigit enim, & vtinam sæpius non contigisset,
vt ad eum accederent, qui de suæ causæ firmitate despera-
rent, orantes atq; obtestantes per eam facilitatem & bene-
uolentiam, quam iam à pluribus annis spectatam haberet,
ne sibi humanitatis atq; clementiæ, qui aliis patebant, fon-
tes conclusos esse patiat, neue dono illo, ac munere ab-
iecto, arctè sibi deuinctos clientes spreuisse videatur: de-
promunt ergò munera, addunt muneribus prolixiores pre-
ces, precibus lachrymas. Quid hic expectatis audit: tor-
te eius animum, tam mitem, tam benignum hisce machinis
cessisse, & à iustitiæ statu demotum, aliquid amicorum lu-
ctui, aliquid precibus concessisse existimatis? Minimè ve-
rò: Non est (inquit) meum iustitiam precio vendere, nec
vestrum contra ius, & fas, quicquam postulare, ite, pecu-
niam itineri reseruate, ego ne latum quidem vnguem ab
æquitate discedam, sed iudicium ad iustitiæ omninò truti-
nam instituem. O factum egregium, ô sententiam Sena-
tore dignam, omnem Oratorum dicendi vim, atq; appara-
tum excedentem! Silent nunc ô GABRIEL bellicæ illæ
tuæ, quas attigimus laudes, tacent Tubæ, ad quarum clā-
gorem Magnus Dux trepidauit, Moschouia expalluit:
nam licet eæ illustres sint, magnam tamen earum partem
sibi Regum auspicia, Ducum industria, militum fortitudo

vsurpat : huius verò gloriæ , quam ex iuris , & æquitatis
obseruantia adeptus es , socium habes neminem . Sed
quo me Orationis æstus abripuit ? quid ago ? quid lo-
quor ? viuentis me conspectu frui , viuenti laudes retexe-
re putabam . O spes fallaces , inanesq; cogitationes nostras !
ô incerta vota ! ô lubricas commutabilesq; vitæ nostræ
rationes ! quid valet secundus , æquabilis , nulla offensio-
ne interruptus annorum cursus ? quid prodest natalium
splendor , familiæ antiquitas ? quid iuuant tot fusa hosti-
um agmina , tot editæ strages ? impares viuimus , morimur
pares , æquat omnes interitus , nec cinis discernitur à cines-
re , summos mediis , medios infimis mortis necessitas æquat ,
hanc nulla sedulitas euadit , nulla fortuna effugit , nulla as-
tutia eludit . Ergone Pater optime hoc solum restabat
continua bellorum ciuiliū serie , & à suis , & ab alienis af-
flicta atq; prostrata Lituaniæ , vt PROCANCELLARIUS , quo
se illa recreabat , cuius aspectu omnium , quas patiebatur ,
calamitatum memoriam deponerat importuna morte ra-
peretur ? Itane illius virtutem cœlo , vitam antea actam æ-
ternitati , res præclare , religiose , piè gestas , gloriæ cœlesti
maturas ; nos illius aspectu , terram præsentia , patriam sub-
sidio indignam iudicasti ? O te GABRIEL ad extremum
vsq; spiritum foelicem ! ô fortunatum ! qui tanta animi con-
stantia terrarum Syrtes emensus , & huius vitæ scopulos
præteruectus , in eo portu conquiescis , ex quo te nullus
reflantis fortunæ impetus depellere possit ; ex quo res hu-
manas vicissitudinum agitationibus subiectas terribilem
fulminantis cœli faciem tui securus aspicias : nos miseros &
infelices , qui tui desiderio contabescentes , tuo subsidio des-

stituti, tuo splendore priuati calamitosam, infirmam, in-
 gloriam vitam ducimus. Recreabatur olim tuis alloquis
 is & morum suauitate hic Præsul amplissimus, gaudebat
 comite officij Illustrissimus Cancellarius, gratulabantur
 sibi de socio Senatores, ille ipse Eques Ducatus nostri insi-
 gne, quoties ad tuas manus veniebat, gestire quodammo-
 do, exultare, tripudiare videbatur. At nunc te extincto,
 quis plangor omnium, quæ complorationes, quæ lamens-
 tationes? plorat omnis ætas, sexus, & ordo, luget Sena-
 tus, mæret Equestris ordo, flet quem tam fideliter & san-
 ctè seruasti Lituanix Eques. Tu ipse Præsul amplissime,
 cuius altum & excelsum animum fortuna, nec subita fælis
 citate, & fulgore illo, quo mortalium oculos capere solet,
 neq; mutata rota, inopinato aliquo casu de statu suo vn-
 quam dimouere potuit: in hac publica omnium complos-
 ratione, tristitiã dissimulare non potes, quemq; dolorem
 illa mentis altitudo, & sapientia tua, quæ nulli fortunæ ces-
 dendum existimat, sed omnia potius humana moderate fe-
 renda, retinere atq; frænare consueuerat, cum ad publicis
 cum omnis status, & conditionis hominum luctum & squa-
 lorem oculos conuertis, facere nullo modo potest, quin
 in vberes lacrymas & amaros gemitus dissoluaris: pla-
 neq; aliis in rebus grauitatis & constantix laudem quæren-
 dam esse existimes, in tam graui plaga, tam acerbo Rei-
 publicæ & familiæ nostræ vulnere, non commoueri, non
 ingemiscere, non lugere, attoniti cuiusdam, & efferati esse
 animi censeas. Sed finis sit, neq; enim præ dolore amplis-
 us loqui possum.

DIXI.

IOANNES CAROLVS BIAŁOZOR.